

65.
I. N. J.

EXERCITATIONUM POLITICARUM

DISPUTATIO VII.

De

REIPUBLICÆ DIVISIONE:
ET IN SPECIE,

De

MONARCHIA, adeoq; de RE-
GNO, TYRANNIDE ET DO-
MINATU,

Quam

PRÆSES

M. JOHANNES DEBZSCHMAN,

Facult. Philosoph. Adj.

ET RESPONDENS

CHRISTOPH. HENRICUS A SCHLEINITZ,
EQUES MISNICUS.

Publicæ ventilationi exponet,

In Auditorio Minori.

Ad Diem 10. Maij. Horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS WENZELI

ANNO MDCCCLIV.

1754

a. XXVI. 4.

oll. diss. A
6, 4

EXERCITIO DE ...

DIPLOMA ...

REPERIBILIS ...

NE ET IN ...

MONARCHIA ...

ENS, TYRANNIDE ET DO-

MINATIO



M. JOHANNES ...

Facult. Philol. ...

ET RESPONDENS

CHRISTOPH. HENRICUS A SCHLEINITZ

FORES MISNICUS

Palace ...

In Auditorio Minor

Additio ...

Typis ...

Amstelredamum

IN NOMINE JESU!



Civitas anima Respublica est. Illa ut in microcosmo omnibus partibus est præferenda, ita hæc in macrocosmo non est negligenda. Est anima nobilior hominis particula, quæ ad ipsam divinitatis surgit excellentiam, aliasq; crassioris & vilioris conditionis partes, longo post se intervallo relinquit. Nec aliud certè in Civilis societatis usu, Republicâ nostrâ, nobilius membrum est. Nam quæcunq; nobilitatis in Civitate sunt argumenta, non nisi à Republicâ suam originem acceperunt. Et sola Respublica Deum imitatur, qui omnium rerum supremus est moderator, ex quo divinitatis certo gradu haudquaquam destituitur. Anima præterea primum est in corpore, secundum & ultimum: anima sibi corporis format domicilium, idq; ex nativæ prudentiæ beneficio constanter conservat, & perpetuâ directione gubernat. Primas Civitatis partes sibi Respublica vindicat, nec medias alteri committit, omnemq; in ultimis excludit vicarium. Illa Prudentiæ politicæ subsidio sibi format & ornat Civitatem, & perpetuum civilis felicitatis fructum non sine admiratione suppeditat. Anima deniq; universas & singulas animat & informat partes: & putrida sunt membra, quotquot animæ operationem impediunt, directionem negligunt, ejusq; vivificationem non admittunt. Respublica in singulis Civitatis partibus animæ conatur expedire officium: putrida igitur sunt membra, quæ hujus Civilis animæ non recipiunt beneficium, nec ordinis hujus prudentissimi amplectuntur artificium. Ut autem hujus animæ civilis naturam plenius perspectam habeamus, Bono cum Deo, nostrum institutum pergimus, & pulcherrimam de Republicâ doctrinam continuamus.

1. Vidimus *Reipublicæ* naturam in genere, ad specialem doctrinam rectâ viâ progredimur. Non autem, una est Rerum-pub. conditio, sed pro locorum, temporum, hominumq; discrimi-

mine variat, unde Rerumpub. oritur *divisio*. Rempub. igitur non omnem respuere divisionem triplici probatur argumento: partim *ratione*, ab ipsâ Reipublicæ formâ petitiâ. Forma Reipublicæ est *ordo*; hic autem in omnibus Civitatibus non eodem modo sese habere dicitur: modo fuit ab uno, modo à pluribus uno principio, imò interdum etiam totum populum, ceu caput aliquod, respicit. Mutatâ igitur formâ non potest res ipsa non pati mutationem, cum pro formæ conditione & statu, iudicium fiat de ipsâ essentia. Partim *Experientiâ*. Si enim vel vetustiores historias revolvimus, vel modernorum regnorum statum paulò plenius evolvimus, differentiam Rerumpub. sine omni labore deprehendimus. Hospes igitur penitus sit in mundo, est necessum, qui de hâc Rerumpub. diversitate ambigere velit. Partim *autoritate*. Politicos enim si repetimus libellos, multam de Monarchiâ, Aristocratiâ &c. dissertationem reperimus. Hæc igitur Rerumpubl. divisio cum apud omnes sit in confesso, non opus habet ulteriori argumentorum patrocinio.

2. Dari Rerumpub. divisionem ex dictis est certum, qualis autem ea sit, magis est dubium. Nos missis reliquis divisionum differentiis, communem nostram facimus, quâ Respub. in *Simplicem* & *Mixtam* distribuitur. Veram autem esse hanc divisionem patet (1) *ex eius generalitate*. Ut enim omne Ens dicitur vel Simplex, vel è simplicibus ortum; vel unum, vel suo modo multiplex: ita pro diverso Rerumpub. statu non malè etiam hîc divisio ista potest applicari. Nam simplex Respubl. est, quæ verè formam simplicem habet, eamque in suâ unitate conjunctissimam: mixta verò, ubi talis exspirat simplicitas, & formæ hujus inter multos fit disjunctio. (2) *ex bonæ divisionis proprietate*. Nam bona divisio constat (α) ex membris oppositis. Simplex autem & mixtum sibi invicem opponuntur. (β) ex membris adæquatis, quia divisio totum divisum exhaurire dicitur. Præter simplicem autem & mixtam Rempubl. nemo tertiam poterit verè allegare speciem. (γ) ex membris, ratione totius, consentaneis. Ut enim membra cujusvis bonæ divisionis inter se sunt opposita, ita cum toto, cujus sunt membra, ut habeant convenien-

nien-

nientiam, illud maximè est necessum. Hoc itidem de his parti-
bus est verum. Nam simplex est vera Respub. nec de mixta a-
liud possumus ferre iudicium (d) ex membris paucissimis. Ea
enim, quæ multa sunt, magis mentem distrahunt, majoremq; dif-
ficultatem pariunt. Hæc autem divisio saltem duobus constat
membris, quæ ad minimum in omni divisione sunt necessaria (e)
Ex forma consideratione. Ut enim sese Respub. habet forma, ita
non immerito instituitur distributio. Illa autem forma duplici
modo sese habere intelligitur ita quidem, ut modo indivisim
fluat secundum omnem suum statum, modo verò divisionem ad-
mittat, nec quoad omnia ex conjuncto principio descendat:
prius constituit simplicem, posterius mixtam Rempublicam.

3. In *Simplici Respubl.* notamus I *Definitionem.* II *Divisionem.*
Definitio absolvitur his verbis. *Simplex Respublica est, ubi summa
potestas est penes unum vel penes uno plures indivisim: Definitum est
complexum, cum ob defectum vocabulorum uno vocabulo
commodiori explicari nequeat: ubi tamen hoc notatu est dig-
num, quòd res una duplici termino exprimat. Simplex verò
dicitur non respectu Personarum, cum plures etiam in eâ possint
Imperium suscipere, ut in Aristocratiâ, Politia &c. sed respectu
formæ, quia ea est indivisa, vereq; simplex. Facile hinc intelli-
gitur definitio, in quâ Genus non est omissum, sed præmissum, ut
fieri in his consuevit, ubi definitum generali & speciali constat
termino; differentia verò partim est communis, eaq; petita est tum
ab objecto, quòd est potestas: tum à proprio, quòd sit summa pote-
stas: tum à subiecto, quòd hæc potestas sit vel penes unum, vel pe-
nes uno plures. Partia specialis, quòd indivisim sit & maneat, sive
penes unum, sive penes uno plures. Quòd autem illa potestas sit
indivisa, patet (1) ex appellatione, quia dicitur simplex, quòd autem
simplex est, illud, quia tale, non est divisum. Et cum secundum
illud vulgatum, *Dici requirat inesse*, non obscure hujus potestatis
indivisio hinc colligitur. (2) ex speciali consideratione. Tres enim
dicuntur esse species simplicis Respub. nimirum *Monarchia, Oli-
garchia & Democratia*; in singulis autem manet vera potestatis
indivisio. Nam in Monarchiâ eam esse indivisam, caret con-*

reverti, cum res per se sit manifesta. In Oligarchia licet penes multos sit imperium; non tamen singuli imperant, sed universi, adeoque penes istos universos manet indivisa potestas; idem etiam verum est de Democratia, cum non penes quemlibet ex populo, sed penes universam multitudinem sit potestas. Quicquid a. dicitur de omnibus speciebus, illud non potest negari de genere, secundum Logicorum placitum: cum igitur omnes species indivisam habeant potestatem, etiam simplicis Reipub. est, hanc indivisam observare potestatem. (3) *Ex oppositione.* Si in mixta Reipub. datur divisa potestas, sequitur, quod in simplici Reipub. detur indivisa potestas. At verum est prius. E. & posterius: *Major* patet, quia de oppositis, oppositæ tantum valent formales rationes. *Minor* est manifesta ex mixtæ reipub. naturâ.

4. *Divisionem* quod concernit, alij, ut B. Dn. D. Jacob. Martini *Dichotomiam* hinc tradunt, in *μοναρχίαν* & *Πολυκρατίαν*: illa est unius, hæc plurium Imperium. *Vid. lib. 2. Polit. c. 2.* Alijs tamen cum *Ariseo* placet *Τετρατομία*. Nos sepositâ controversiæ hujus tractatione, rem ipsam modo explicandâ sumimus. Ne tamen *αυτοδωγ*, videamur præcepta ponere in dichotomia B. Dn. Martini acquiescimus. Dicimus igitur quod Reipub. simplex sit vel *Monocratica*, vel *Polycratica*. Illa est, quâ omnis ordo ab uno fluit fonte, ab uno manat capite, ad cujus unius nutum omnia geruntur, unde describitur, quod sit Reipub. in quâ imperium est penes unum. Hoc postulat (1) *vocis significatio*, quia nihil aliud significat Monocratia, quàm unius imperium. (2) *vocis derivatio*, quia deducitur à nomine Græco *μονός*, quod apud Lat. est unus vel solus, & à verbo *κράτειν*, quod est impero. (3) *hujus à reliquis distinctio*: quia enim ibi polycratia est, ubi multi dominantur, facilissimo negotio inde colligitur, ibi dari Monarchiam, ubi unius est imperium. (4) *Politicoꝝ consensio*. Omnes enim hætenus Politici constanter idem docuerunt, quod Monocratia, seu, ut aliàs loquuntur, Monarchia in unius consistat Imperio.

5. *Monocratia* iterum dividitur in *Extremam* & *Mediam*. Illa iterum est vel *bona*, vel *mala*. *Bona* dicitur in specie *Regia Monarchia*, s. *Regnum*, *Mala Tyrannis*: media verò, quæ utriusq; imitatur naturam,

naturam, *Dominatus* nuncupatur. Ubi tamen hoc observatu dignum est, has Monarchiæ classes non esse specie distinctas, aut essentialiter à se diversas; accidentibus & qualitatibus hic omnis mensuratur diversitas, quæcunq; dictis contingit ordinibus: unde à nonnullis in rectam & corruptam, ab alijs in probam & vitiosam Monarchia distinguitur.

6. Regia Monarchia primo jure suo ponitur loco. Est n. *prima* (1) *ratione dignitatis*, quia reliqua dignitate longo intervallo superat. Dignissimus verò est ordo, qui Monarchiæ regiæ tribuitur, & longè post se Tyrannidem cum Dominatu relinquit. Dignissimum autem quodcunq; dignissimum & primum occupat locum. (2) *ratione originis*. Hæc autem Monarchia à Deo suum trahit ortum, & Leges Divinæ gubernationis pressius imitatur, quas multis modis Tyrannis negligit. Et cum supremum Numen Politicæ gubernationis in animo humano seminaret fundamenta, ad hancce Monarchiam potissimum respexisse colligitur (3) *ratione utilitatis*. Moventur non tantum, sed penitus trahuntur homines utilitate, & quo majorem unumquodq; habet fructus ac lucri speciem, eo fortius humanum rapit appetitum. Ea igitur primâ in acie sunt ponenda, quæ maximum utilitatis afferunt argumentum, ne inutilibus admotis, statim omnem amittat intellectus cognoscendi cupiditatem. Monarchia autem regia utilitate prima est & maxima, quia sola inter dictas differentias publicam ex omni parte respicit salutem. Tyrannis privatam tantum, Dominatus ex parte privatam, ex parte publicam utilitatem intendit.

7. Est a. Regia *Monarchia* s. Regnum Resp. in quâ summa potestas est penes unum, bonum publicum spectantem. Hic notamus duo. 1. *Definitum*. Hoc quoad *Etymologiam* dicitur à *μὶνός*, unus vel solus, & *ἀρχομαι*, adeoq; vis & *Etymologia* vocis unius indicat imperium. Quod *Homonymiam* concernit, sumitur vel in sensu *Biblico*, pro latissima, eâq; diuturnâ unius Reipublicæ in totum ferè mundum jurisdictione: quo respectu, secundum *Danielis* vaticinium, quatuor tantum fuerunt Monarchiæ: *Assyrio*. *Chaldaica*, *Medo* - *Persica*, *Græco* - *Macedonica*, & *Romano* - *Germanica*.
Vel

Vel in *sensu Etymologico*, ita ut purè unius dominium importet, quemadmodum is etiam, qui solus familiæ aut alijs præ est, Monarcha potest appellari. Vel in *sensu Politico*, pro unius summo in Reipubl. administratione imperio. Et sic iterum variat, quia modo sumitur *generaliter*, quatenus non tantum regnum, sed etiam Tyrannidem & dominatum includit, cum in singulis hisce formis penes unum sit suprema potestas: modo *specialiter* & κατ' ἐξοχὴν, pro optimâ unius administratione: h. l. generaliter accipitur, quia per vocem *Regia* restringitur. Alias dicitur Regnū.

8. 11. *Definitionem*, in quâ primò præsupponitur quæstio *Quòd sit*, exponitur autem per singula membra quæstio *Quid sit?* Dari formam Regiam Rerumpublicarum Monarchicam patet (1) *ex Divini regiminis consideratione*. Ea quæ sunt in mundo, Divini Numinis gerunt imaginem, cum ipse mundus nihil sit aliud, iudice *Trismegisto*, quàm Dei imago. Est autem in mundo gubernatio, quæ divinæ non tantum potentia, sed etiam sapientia atq; Clementia est typus. Deus enim, ut suâ providentiâ mundum, & omnia, quæ in mundo sunt, administrat, ita etiam Magistratus huius suæ gubernationis iussit esse administratos. Si igitur Deus est Monarcha, de quo nemo est, qui ambigere possit, in mundo etiam Monarchia sunt concedenda. (2) *ex Naturalium rerum conditione*. Ea est naturalium rerum conditio, ut firmissima earum sint fundamenta. Tantum igitur abest, ut vel res naturales, vel quæ in his fundantur, possimus negare, cum potius altissimas hæc omnia ponant radices. Sed Monarchia in ipsâ naturâ suam accepit stabilementum, certissima igitur ut sit, illud penitus est necessarium. Inter omnia cœli sidera Soli regimen tribuitur, inter terrestria animalia Leoni, inter volatilia Aquilæ Regis titulus defertur. Vitæ apud hominem cor est caput, animalium actionum principium penes cerebrum esse dicitur. Bruta etiam animalia in certis speciebus suos eligere Reges, testes sunt naturalium rerum scrutatores. (3) *ab antiquitate*. Quod enim primis & antiquissimis temporibus verè fuisse legitur, non demum hodie potest negari. *Principio*, inquit *Justin. l. 1. rerum, gentium, nationumq; omnium, imperium penes reges erat*. Idem etiam confi-

tetur

tetur *Philosophus l. 1. Pol. c. 2.* Unde & ipse *Seneca* non dubitat re-
 gum antiquitatem ad ipsam naturam autorem referre *l. 1 de Clem.*
c. 19. Natura, inquit, commenta est regem, quod ex alijs animalibus,
& apibus præsertim licet cognoscere (4) à reliquarum collatione. Si
 datur Oligarchia & Democratia, sequitur etiam, quòd detur Mo-
 narchia. At verum est prius. E. *Minor* ab omnibus Politicis
 conceditur. *Major* probatur, quia Monarchia teste *Plat. l. 3. de*
LL. omnium reliquarum est mater: filia a. de matre certissimum
 edunt argumentum. Neque *Platonis* sententia Veritati ullam
 infert injuriam, sed certissimo constat fundamento. Nam longè
 simplicior est Monarchia reliquis, cum in his penes plures, in il-
 la penes unum sit imperium: à simplicioribus autem ea oriuntur,
 quæ magis dicuntur esse composita. Nec Tyrannis vel Domi-
 natus certiozem potest habere existentiam, quàm Regnum s.
 Monarchia κατ' ἐξοχήν ita dicta, cùm Monarchia sit inter has
 formas optima. Optimum autem quod est, optimum etiam &
 certissimum existentia suæ habet fundamentum.

9. Quæstio quid sit exponitur per Genus & differentiam. Genus
 est *Respublica*. Paret hoc (1) ex *Monarchia regia constitutione*. Q. con-
 stituitur per *Reipublicæ Materiale & formale*, illud etiam est
Respublica. At *Monarchia regia* ita cõstituitur. E. *Major*, quia posi-
 to *Materiali & formali* ponitur ipsa essentia. *Minor* probatur, quia
Civitas est, *Reipublicæ Materiale*, nulla autem *Monarchia* con-
 stituitur sine civitate, sed hæc ipsius *Monarchiæ* ingreditur es-
 sentiam. *Formale Reipubl.* est ordo, ubi autem nullus ordo, ibi
 nulla potest esse *Monarchia*. Confusio anarchiam, non regiam parit
Monarchiam. Optima autem ordinis dispositio ut anarchiam
 tollit, ita *Monarchiam regiam* constituit. (2) ex *Reipubl. Definitione*.
 Cuicunq̃ue competit definitio, eidem etiam non potest denegari
 Definitum, sonat illud vulgatum *Logicorum* statutum. Jam *Mo-*
narchiæ competit *Reipublicæ* Definitio. E. *Minor* fit manife-
 sta ex solâ *Definitionis* allegatione, cùm facilè singula verba ad
Monarchiam ipsam applicari queant. Definitur autem *Respu-*
blica, quòd sit ordo *Civitatis*, & quidem *Magistratum* quorum-
 cunq̃ue, maximè verò *potestatis supremæ*, à quâ per *Magistratus*
 B medios

medios in universus subditos fuit gubernatio. (3) *ex Essentiali Republicæ divisione.* Dividitur secundum Politicos essentialiter Respubl. in Monarchiam, Oligarchiam & Democratiam. Omnis autem Essentialis Divisio vel fit in partes Essentiales, vel fit in species. Divisio in partes essentiales est, quando totum aliquod Physicum in formam & materiam distribuitur. Respubl. autem non est totum Physicum, neque etiam hæ partes sunt essentiales, cum partes essentiales toti semper & ubique debeant esse præsentès, ita quidem, ut secundum Metaphysicorum legem, *destructa saltem una parte essentiali, tollatur penitus totum.* Monarchia autem potest esse absque Oligarchia & Democratia. Manet igitur quòd sint species. Species autem per suum genus solent definiri, cum omnis speciei definitio Genere & differentiâ constare debeat. (4) *ex generis conditione.* Genus est conceptus essentialis, sed inadæquatus, cum non totam speciei exhaustiat naturam, sed differentiam sibi requirat adjungendam. Republica verò est conceptus essentialis, quia nulla datur Monarchia sine Respubl. sed inadæquatus, quia non omnis Respubl. est Monarchia, sed ea tantùm in quâ unius omnia subjiciuntur imperio.

10. *Differentia, quæ propius rei naturam sistit, à causis est petita, quia causarum notitia specialem cujusvis rei tradit cognitionem. Causæ autem in definitione ponuntur vel Implicitè, vel Explicitè. Implicitè quæ ponitur, est Efficiens, cum illa non tam interna, quàm externa sit Philosophis. Quòd autem implicitè ponatur, patet ex eo, quia summa potestas dicitur Esse penes unum; quòd autem in rebus humanis, adeoque & in Politicis est, illud à certâ causâ Efficiente habet originem, cum verissima sit illa Philosophorum Regula: Nihil est causa sui ipsius. Explicitè autem ponitur tum Materiale, quod est summa Potestas: Tum formale, quòd illa summa potestas sit penes unum; tum finis, quòd hinc spectemus bonum publicum.*

II. *Ad Causam Efficientem pertinent modi, quibus Monarchia Regia constituitur. Causa enim Principalis, sive immediatè Deus sit, sive mediantibus hominibus Reges fiant, semper tamen certus adhi-*

adhi-

adhibetur modus. Deus olim *Mosen* Israëlitarum ex Aegypto & in deserto Ducem elegit. *Josua* hujus successorem nomine tenus primùm designavit, deinde per *Mosen* eundem successorem populo commendavit. Primus Israëlitarum Rex, *Saulus*, non tantum sortilegio ex divinæ providentiæ directione à populo inventus, sed etiam ex divino jussu antea per *Samuelem*, mediante unctione, in Regem electus est. *Salomon* etiam successionis privilegio ad Regiam dignitatem adscendit. Et hæc etiam apud Gentiles fuit consuetudo, qui modo Reges suos elegerunt, modo successionis jure, parem regiæ dignitatis gradum iisdem concesserunt.

12. Duo igitur sunt modi, quibus summa potestas Regibus conceditur. Primus est *Electio*. Hæc ex *Lipsii l. 2. Polit. c. 4.* describitur a *B. Dn D. Jac. Mart.* quòd sit talis modus, cum spreto natalium jure, suffragiis designatur Princeps. Ubi tamen notandum est, quòd hic contemptus juris natalitii, non absolute sit intelligendus, sed comparatè. Nam in nostro Germanico Imperio, non ex infimis plebe natis Imperator eligitur, sed ex Illustrissimis familiis adsumitur. Sic *Otto III.* qui à quibusdam primus ab Electoribus creatus creditur, ex Illustrissima Saxonum familiâ erat oriundus. Hujus successor *Henricus II.* Vulgo Sanctus dictus, ex eâdem natus erat familiâ. *Conradus II.* post eum ex Ducibus Francis est adsumtus &c. Sic ex Celsissimâ *Astiacorum* Familia longo ordine Imperatores sunt electi. Pari modo in aliis Rebus pub. non negligitur penitus generis profapia, sed si adsint Personæ huic dignitati pares, potiùs ex Illustribus familiis, quàm ex fece plebis eliguntur. Comparatè igitur hic contemptus est accipiendus, h. e. quòd non prima habeatur natalium cura, nec sola attendatur nativitas: Sic n. *Electio* à *successione* distinguitur. Nam in *successione* ibi attenditur nativitatis, cognationis, &c. sed in *Electio* hoc ipsum jus negligitur. Deinde in *successione* habetur ratio sanguinis, in *electione* verò potissimùm *Virtutis*: Item in *successione* ibi suffragiis aliorum haut est opus: sed *Electio* omnis dependet ab *Electorum* suffragiis. *Successio* illa est adstricta certæ Familiæ, *electio* verò ab hoc adstrictionis casu est libe-

12. Successiōdeniq; est necessitatis, Electio verò liberæ voluntatis.

13. *Objectum* hujus Electionis regiæ vocatur *Princeps*, nimirum persona talis, quæ summo principatu est digna. *Objectum* autem ordinarium non debet esse (1) *peregrinum*: Unde quaeritur: *Num exteris etiam fasces Imperii sunt offerenda?* Affirmativæ sententiæ Patroni his nituntur fundamentis (1) *quia* hâc ratione tollitur inter Cives æmulationis studium, quod maximè Reipublicæ est perniciosum. Testantur de eo Romanorum historiæ: nisi enim tanta fuisset inter Romanorum principes æmulatio, non tanta etiam intestinorum motuum exorta fuisset multiplicatio. (2) *Quia* vires illius Reipubl. ad quam gubernandam exteris suam adjungit potentiam, maximè possunt augeri. Testis est *Carolus V.* gloriosæ memoriæ Imperator, qui, cum Hispanicam Germanorum Imperio jungeret potentiam, maximas res gessit, & maximorum bellorum victor extitit. (3) *Quia* illustria hujus rei extiterunt olim exempla: *Josephus* Israelita & Hebræus natione felicissimam Aegypti gubernationem suscepit: *Daniel* etiam maximâ autoritate, & summâ felicitate duabus potentissimis Monarchiis præfuit. Nec tantum in Sacris talia leguntur documenta, sed etiam apud profanos autores similia invenire licet. *Livius lib. 1. de Numa* refert: *Numa Curibus Sabinis habitans, consultissimus vir, ut in illa quisquam ætate esse poterat, omnis divini atq; humani juris, Romam evocatus ad regnum, licet initio ejus electionis Romani veteres peregrinum regem aspernati essent.* Peregrinus etiam fuit tertius Romanorum Rex, *Tarquinius Priscus*: *Servius Tullius* non tantum peregrinus, sed & serva matre fuit natus, teste eodem *Livio*.

14. Verum Resp. ad 1. quod non omnis æmulatio sit perniciofa, unde dist. inter *licitam*, & *illicitam*, *honestam*, & *inhonestam*: illa non tantum concessa civibus, sed etiam maximus Reipubl. nervus est: e. g. si sit æmulatio in bono, in fortitudinis studio, in Justitiæ, liberalitatis & Modestæ exercitio, quis enim talem æmulationem reprehensione dignam judicaret? *Themistocles* æmulationis studio commotus toti profuit Græciæ, & patriam à turpissimâ

simâ Persarum servitute liberavit. *Alexander M.* homericos imitatus Heroas, & maximo æmulationis impetu ductus, totius ferè orbis Dominator est factus. Sic Romanorum Duces sæpius sola æmulatione rapti fortissimè sese gesserunt, & patriam ex præsentissimis periculis eripuerunt. Alia igitur æmulatio in virtutis fundatur modo, alia in vitioso latet subjecto: Illa fructuosa, hæc perniciosa. *Deinde* alia æmulatio suscipitur contra hostes, alia contra cives & patriam: Illa in Romanorum principibus encomio, hæc vituperio digna. Ut igitur prior omnes ad imitationem invitare potest, ita hanc omnes veri cives evitare debent. *Præterea* non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Malum videtur esse Reipubl. externum adsumere caput. Sicut enim monstruosum videtur esse corpus, quando omnibus membris rectè sese habentibus & toti naturæ correspondentibus, peregrinum & difforme adsumitur caput: ita etiam corpus politicum, quod totum ex internis constat membris melius & fructuosius internum, quam peregrinum admittit caput. *Tandem* per accidens hoc fit, non per se, quando ex peregrini Magistratus electione civium æmulatio corrigitur. Non enim semper hoc fit e. g. Danielis tempore illâ peregrini gloriâ potius aucta, quam imminuta est aulicorum æmulatio & invidia. Neq; directè propter hoc fit, quia peregrinorum Magistratum præsentia non est absentis æmulationis causa: possunt enim cives ob alias causas hanc æmulationem omittere: possunt præterea etiam sub peregrini regis imperio vel maxime æmulationi studere.

15. Ad II. (1) *Multa quidem lucere, sed non omnia prodesse*: licet quidem Magistratum exterum eligere, sed reipsâ non videtur Reipubl. prodesse. Hinc (2) *Dist.* inter utilitatem *veram & apparentem*. Primo quidem aspectu habet eximium hic prætextus colorem, sed si superficialis hic color abstergetur, nihil utilitatis remanet. Nam externa est illa utilitas, non interna, peregrina non domestica, adventitia non propria, speciosa non fructuosa. Optima est utilitas, quæ ex intrinsicis nascitur visceribus, & si Respubl. optimè sit disposita, licet parva, facilè tamen sibi est sufficiens, si modo ubique adsit Concordia. Concordia enim

res parvæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. (3) *Diff. Inter augmentum stabile & inconstans.* Talia, quæ ab extrinseco veniunt principio, sæpius majora secum ferunt incommoda, quam comoda, & cum nullum habeant intrinsecum fundamentum, facile hinc oritur discordia, invidia, æmulatio, inter diversorum regnorum unius regis subditos &c. Quod attinet *exemplum*, illud non probat, sed tantum illustrat. Deinde Electores *Carolus V.* eligentes noluerunt hanc peregrini militis adductionem. Nam inter alias transactionis condiciones etiam hanc numerant: *Peregrinum quodq; militem nullum in Germaniam adducat, nisi consentientibus Electoribus.* Hoc etiam postea Elector Saxonix & Landgravius Hassiæ in bello, ut vocatur, Protestantium pro se allegarunt, & in Cæsare correctione dignum censuerunt. Unde etiam graviter internam Germanorum potentiam externis ejusmodi adminiculis nõ indigere, monet in Deliberatione Electorali apud *Sleid. lib. 1. Trevirensis Elector.* *Incommoda, inquit, multa Moguntinus in contrarium adduxit, & propter infirmitatem tenuemq; fortunam, contemptibilem fore putat ejusmodi Cæsarem.* Atqui si eligamus idoneum, satis habet Germania nervorum atq; potentie, qua sustineat omnis. Qui fuit undecimus ante Maximilianum Cæsar Rudolphus, non magnum quidem attulit robur, sed virtute præstabat, & quod pertenuerunt tunc erat, multisq; bellis afflictum imperium, ita restituit, ut vicinis regibus metum adferret. Quam præclare senserint etiam exteri principes, ac in his Ludovicus XII. Gallie rex, de Maximiliano Cæsare, solum propter ingenium atq; virtutem, non ignotum vobis esse puto. Nimirum fuit semper illustre Germanie principum nomen & fama celebris: ea nondum est extincta, & viget incolumis, & sunt, inter alias Germanie, tres hodiè præcipue familiae, Bavarica, Saxonica, Brandenburgica: sunt in his etiam nonnulli præstantes viri. Si quem igitur ex illis rerum summæ præficiemus, & nostris copijs adjuvabimus, ut certè debemus, non est, quod exteros metuamus. Modo idem sentiamus & velimus omnes, in tuto res erit. Omissis ergo peregrinis, è medio nostrorum hominum cætu quempiam deligamus: non deerit successus, & sunt testimonia multa domestica nostrorum virtutis.

16. Ad III. R. Non exemplis, sed legibus & rationibus est
arguendum. Non equidem negamus, illa exempla satis esse illu-
strata, sed ab uno vel altero exemplo velle argumentari ad ipsam
legem non est permittum, cum trita sit Logicorum consuetudo,
quod à *particulari ad universale N. V. C.* (2) illa exempla sunt
rarissima. *Dist.* igitur inter illud, quod raro fit, & inter illud,
quod plerumque, aut semper fieri debet. (3) Longe illustriora et-
iam hic possumus allegare exempla. Galli hoc præcipue consi-
lio legem Salicam, qua fæminas ab imperij participatione exclu-
dunt, tulisse dicuntur, ne summa rei ad aliquem externum prin-
cipem deveniret. Veneti, qui prudentiæ laude omnibus sunt
admirationi peregrinis in Reipub. administratione nullum pe-
nitus relinquunt locum, teste *Patrit. l. 3. t. 2. de Rep. instit.* Inter
Belgarum privilegia hoc non postremo numeratur loco; Nul-
lum Peregrinum vel exterum Muneribus publicis præficiant.
Apud Helvetios mos etiam hic religiosissime observatur, neq;
ullus exterus apud eos regimini publico præficatur. Idem etiam
aliorum populorum testantur historiæ. (4) Illa exempla etiam
pro extraordinarijs possunt ex parte haberi. Ab extraordinarijs
autem ad ordinaria non licet argumentari. Non igitur simplici-
ter, sed tantum communiter peregrinos hic excludimus. Facile
enim contingere potest, ut etiam peregrinorum gubernatio in-
terdum felicem sortiatur eventum, sed rara sunt ista, nos hic tra-
ctamus communia. *Negativam* igitur sententiam pro affirmati-
va eligimus. Verè enim *Lipsius: Ut in quam domum Vespillones*
veniunt, signum est funeris. Sic Reip. labentis, ad quam fulciendam
adhibentur peregrini.

17. II *Vitiosum* (1) quia sicut caput, quod se malè habet,
non potest reliquis membris animales suppeditare spiritus: Ita
etiam Rex vitiosus nullum virtutis subditis offert incitamen-
tum. (2) quia virtus est proprium regis bonum. Nam præstan-
tissimæ partis in Rep. præstantissima ut sit virtus, ipsa proportio-
nis postulat ratio. Unde aliàs dicitur: Magistratum non tan-
tum à crimine, sed etiam ab omni criminis suspitione liberum
esse oportet. (3) quia vitia illa in subditis non possunt repre-
hendere

hendere, vel corrigere, aut punire, quorum ipsi sunt studiosi. (4) quia maxima pariunt scandala. Omnes enim subditi regis solent imitari vitam, ejusque exprimere mores. Hos si offenderint malos, malitia itidem corrumpuntur.

18. III. *Ambitiosum*. Ambitiosum enim si eligant regem, nocent (1) *sibiipsis*, quia rex post electionem facile sua abutitur dignitate, autoritate & potestate, ipsis Electoribus jura & privilegia vel adstringit, vel penitus adimit. Neminem enim ferre potest, qui vitio ambitionis laborat. (2) *Regi*, quia ejus augent ambitionem, & potentiam ad plura appetenda & aliis eripienda adjuvant. (3) *Subditis*, quia perpetuis affliguntur bellis, qui regem ambitiosum venerari necessum habent. Honor enim in ambitiosis, penitus est infatiabilis. (4) *Toti reipublicæ*, quæ propter regis ambitionem ab exteris turbatur, propter maximum apparatus nervis rerum gerendarum spoliatur, & ipsa etiam maximus motibus implicatur. Unde *Electo Moguntinus* apud *Sleid. d. l.* cum adversus *Gallum* verba faceret, inquit: *Deinde etiam si natio non impediret, tamen è republ. non est, quia fines ac ditionem suam Gallus amplificare volet, & Carolo, quem odit, bellum faciet, imò jam illud denunciavit. Itaq; fiet, ut Germania maximis motibus implicetur. Nos a. providere decet, ne civile bellum excitemus.*

19. IV. *Plebeium* (1) quia dignissimo officio etiam dignior convenit persona (2) quia consentaneum est fortes creari fortibus, & meliores esse eos, qui ex melioribus sunt geniti parentibus. (3) quia nihil magis videtur homines mutare, quam subitanea ejusmodi mutatio, si ex statu infimo aliquis ad supremum dignitatis gradum elevetur. Hinc *Claudian. lib. 1. in Eutrop.*

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum

Cuncta ferit, dum cuncta timet, deservit in omnes

Ut se posse putet, nec bellua tetrrior ulla est,

Quam servi rabies in libera colla furentis,

Agnoscit gemitus, & pæne parcere nescit,

Quam subijt, dominiq; memor, quem verberat, odit.

(4) quia homines obscuri autoritate destituuntur: regiam autem majestatem autoritate armatam esse oportet. Loquimur tamen

tamen iterum de eo, quod ordinariè fieri convenit, non verò de eo, quod aliquando factum est. Nam *Augustus* imperator avo argentario, & patre ad stipulatorem natus est. *Servius Tullius*, ex matre serva oriundus, ad regiam Romanorum potestatem pervenit. *Tullus Hostilius* Mercatorem, *Agathocles* figulum, *Anastasius* Imperat. armamentarium parentes habuere &c. Unde h. l. & illud observatu est dignum, quod plebejus potius statu & conditione, quam ortu & generatione ab Electione excludatur. Nam licet à plebeijs interdum excellentes oriantur naturæ, tamen illi, qui quoad statum & conditionem manent obscuro, ad sceptrum sunt inepti. Unde non immerito absurdum hoc videtur *Socrati*, cum artes sedentarias nemo profiteatur absq; dedecore, qui eas non didicerit: neq; quisquam scrinium faciendum locet ei, qui rudis sit ejus opificij; ad publicos magistratus admitti, qui nunquam dederunt operam disciplinis, sine quibus nemo recte magistratum gerere potest.

20. *Medium* porro *Electionis* in definitione exprimitur nomine *suffragiorum*. Dicitur enim princeps suffragijs in Electione designari. Suffragia igitur sunt Electionis media. Patet hoc (1) *ex Electionis natura*. Omnis enim Electio in certo quodam libertatis gradu consistit; dum igitur regem Electores eligunt, etiam suffragia libera conjungunt. (2) *Ex Electorum multitudine*. Plerumque enim fieri consuevit, ut à multis fiat Electio. Cum autem quilibet Eligendi habeat potestatem, non potest absque suffragijs res confici. (3) *Ex Eligendorum numero*. Electio enim est quædam quasi selectio, & è multis aliquid legitur, quod proprie eligitur. Ubi enim nulla multitudo, ibi nulla potest fieri electio. Cum igitur Electores facile in diversas possint abire sententias, suffragijs hic est opus, ut vel omnes, vel pleriq; prius suffragiorum numero conveniant, quam ipsam electionem absolvant. Ubi tamen hoc memoratu dignum est, quod suffragia illa & electionis vota debeant esse libera respectu sc. eligentium, ne vel muneribus aut persuasionibus, vel etiam alijs vijs minus licitis corrumpantur. Helvetiorum enim responsio, Galliarum Regi pollicitationibus & splendidissima legatione intercessio-

C

ncm

nem ipsorum apud Imperij Electores poscenti data, memoria digna. Gallus enim, inquit Sleid. à morte *Maximiliani* missis ad ipsos (Helvetios) legatis, quamobrem cupiat designari Cæsar, exponit, ac simul petit, ut suam causam apud Electores adjuvent. Illi, quo tempore amicitiam cum eo pepigissent, Ecclesiam Rom. & Imperium sese dicunt excepisse: ad Imperij verò maiestatem pertinere, ut sint Electorum liberrima suffragia: non ergo sibi licere, libertatem hanc ulla significatione suæ voluntatis impedire. Hæc illi apud *Sleid.*

21. Deniq; electionis proprius allegatur effectus, nim. Regis designatio. Dicitur effectus, quia semper Electionem, seu causam aliquam præsupponit. Dicitur proprius, quia hanc designationem semper Electio consequitur, adeoq; hic proprius & proximus est Electionis effectus. Alias etiam alij dantur effectus, qui sunt remotiores, nec in Eligentium sunt potestate, ut sunt Electionis ab Electo approbatio, officij oblato susceptio &c. Nam sæpius solet contingere, ut Electus recuset oblatam provinciam, nim. vel propter officij difficultatem, vel ob populi invidiam & constantiam, vel ob senectutem, vel alias ob causas. Sic *Xenophon* olim repudiavit Græcorum imperium: *Quæ enim* inquit, *tantam invidiam sustentare possem Xenoph. l. 6. de exped. Cyri.* Eadem ratio etiam *Chrysippum* à Reipub. administratione retraxit: *Si enim,* dixit, *bene administravero, civibus, si malè, Deo displiceo.* Vel etiam electus vi quadam majore & casu fortuito, vel etiam morbo aut ipsa morte potest impediri, quo minus oblatum munus suscipiat.

22. Cum autem suffragiorum potissimus in Electione respectus sit habendus, hinc pro suffragiorum variatione etiam ipsa Electio variat. Unde Electio alia dicitur libera, alia adstricta, prout suffragia modo sunt libera, modo certis conditionibus sunt adstricta. Prior Electio est, qua Electores citra nationis, stirpis & familiarum respectum quemlibet eligere possunt, qui ad magistratum gerendum videtur esse idoneus. Posterior vero est, qua ex legum fundamentalium præscripto Electores vel ad certam nationem, vel ad certam stirpem, vel ad certam familiam sunt adstri-

adstricti. Sic in nostro Romano-Germanico Imperio, ne alius Imperator vel Rex Germanorum eligatur, nisi Germanus, lege est prohibitum *l. Imperij*, quam ab *Ottone, III.* constitutam volunt. Idem testatur *Moguntinus* statim à principio orationis suæ apud *Sleid.* Ad Gallum quod attinet, legibus, inquit, nostris & jurejurando nos arbitror impediri: quibus cautam est, ne decus hoc imperij transferatur ad externos.

23. Alter modus vocatur *successio*, quæ est secundum *B. Dn. D. Jac. Mart. l. 2. c. 5 p. 352* quando vel princeps ex principe nascitur, & jure hereditario, vel etiam alio certo successionis jure Regno præficitur. Successio dicitur à succedendi actu, sicut Electio ab Eligenda actu suam habet appellationem. Illi enim, qui successionis utuntur privilegio, sine accedente aliorum suffragio jure hereditario, vel alio modo antecessoribus suis succedere dicuntur. Dicitur præterea modus constituendi Regem, quia Rex successionis beneficio in plenissimam majestatis summæ usurpationem ascendere potest. Reliqua verba diversos successionis gradus exprimunt, unde merito de distinctis etiam distinctè agendum judicamus.

24. Successio alia est *primaria*, alia *secundaria*. Illa est, quando jure sanguinis seu hereditario regnum obtinemus. Hujus autem iterum distincti sunt gradus. *Primus* debetur *Liberis*, unde illi omnibus reliquis agnatis sunt præferendi (1) quia nemo ex agnatis propius jure sanguinis attingit parentes, cum liberi immediate à parentibus sint geniti, & in linea recta ab iisdem descendant. (2) quia ipsa ratio naturalis, quæ est instar tacitæ legis, parentum hereditatem liberis addicit. (3) quia etiam vivis adhuc parentibus liberi quodammodo rerum Domini, seu paternorum bonorum possessores æstimantur. (4) quia parentes demortui in liberis vivam sui imaginem relinquunt, & in iisdem post mortem adhuc vivunt. (5) quia successio non fit per saltum, sed per ordinem.

25. De hoc successionis gradu primum quæritur: *An Spurijs etiam successionis frui possint beneficio?* Habet affirmativa suas rationes (1) quod sæpe in spurijs magna deprehendantur virtutum documenta. Hinc *Eurip. in Andromach.*

- - *Sæpe numero certe*
Arida profundam terram vicit satio,
Spurius multis legitimis melior.

(2) quia spurij nullum potest imputari dedecus, utpote cum nihil ipsi deliquerint, propter quod à muneribus publicis sint ar-
cendi (3) quia naturales sunt Regum filij. Si igitur successio
debetur liberis propter regum sanguinem, spurij etiam non po-
test denegari. (4) quia ignominia solet esse virtutis incitamen-
tum, adeoque illi, qui antea macula aliqua fuere affecti, postea
summo conatu eam abstergere conantur. (5) quia illustria dantur
spuriorum exempla, qui non tantum virtutum actionibus, sed
etiam præclaris in Rempubl. meritis reliquis palmam dubiam
fecerunt. Sic in sacris *Jephtha*, in profanis *Hercules*, *Theseus*,
Menelaus, alijq; summæ rei præfuerunt.

26. Verum Respondetur breviter ad (1) licet sæpe hoc fiat,
tamen, in comparatione ad reliquos, exempla hæc sunt rarissima.
Deinde à particulari ad universale non licet argumentari. Tertio
non soli spurij sunt virtuosus: potius igitur legitimis, quam spu-
rij successiois jus concedendum. Deniq; si tanta sit spuriorum
virtus, possunt ad alia dignitatis officia adhiberi, summus autem
majestatis gradus spurij non videtur convenire. Ad (2) nega-
mus, quod filij non imputeretur dedecus parentum: contrarium
testatur ipsa experientia. In *Germania* tantus est spuriorum con-
temptus, ut nec ad mechanicas artes ipsis pateat aditus. In *Aca-*
demij illegitimo thoro nati ab honorum publicorum participa-
tione arcentur. Apud *Helvetios* non admittitur ad gubernationem
spurij teste *Simlero de Republ. Helvet. p. 145.* Nec in *Gal-*
lia legitimatus recipitur *Hotoman. tr. success. in regn. Franc. l. 3. p. 34.*
Apud *Succos, Gothos & Norwegos* olim vix spurij licuit in hone-
storum virorum versari consortio *Job Magnus l. 18 c. 6.* Nec ea
consuetudo nova est, sed vetustissima spurios relegat traditio. I-
pse Deus spurios à civili societate repellit. Nam spurij civi-
tate *Israelitica* donari non poterat usq; ad decimam generatio-
nem *Deut. 23. 2.* Et *Solonis* lex erat, ut spurij publicum esset ci-
vitatis mancipium. Nec communiter spurij censentur melio-

res genitoribus suis, quia *Mali corvi malum ovum*: unde jure de-
 decus ipsis imputatur. Ad (3) non tantum naturales debent esse
 filii, Regum successores, sed etiam legitimi. Qui enim ex ille-
 gitimo toro nati sunt, videntur legum contemptum secum ex u-
 tero afferre, unde legum non possunt esse autores, conservatores
 & defensores. Deinde cum spurij dicantur nullum habere pa-
 trem, cum pater ipsorum incertus sit §. 12. *inst. de Nupt.* etiam
 Regem patrem habere nequeant. Deniq; si spurii in bonis pa-
 ternis successio apud privatos denegatur, nemo potest spurios ad
 regni successionem maximo privilegio donare. Ad (4) nulla
 hic datur consequentia: Sic enim omnes scelerati ad summos
 honorum gradus essent extollendi. Deinde fit hoc per accidens,
 non per se. De *Themistocle* quidem refert *Nepos*, quod ignomi-
 nia ejus animum non fregerit, sed potius crexerit: Verum pau-
 cissimi sunt, qui *Themistocelis* imitantur exemplum, plures qui
 commune sequuntur fatum. Ad (5) Non equidem mirum est, a-
 liquot inde à mundo condito extitisse exempla, eorum nimirum,
 qui paternæ propagationis injuriam propria virtute sustulerunt:
 sed facile numerantur ista exempla, reliqua sunt sine numero,
 neque ista caperet charta. Concludimus igitur spurios
 cum legitimis communem successionis potestatem non ha-
 bere.

27. Deinde etiam quæritur: *An filia pariter successionis habeant*
privilegium? Sunt regna, in quibus etiam filiabus ad regnum pa-
 tet aditus. Testis olim fuit *Anglia*, quæ supremum dignitatis
 gradum ex hæreditatis jure fæminis concessit. Habuit illa *Ma-*
riam, Elisabetham reginas. Nostri temporibus *Suecia* eandem
 habuit administrationem. Alia tamen sunt regna, quæ fæmel-
 las à successionis participatione excludunt. In *Gallia* enim ob
 legem *Salicam* nulla, licet sit Regis filia, imperio præficitur fæmi-
 na. Unde hæc quæstio dupliciter potest considerari, vel *abso-*
lutè, & ita filia quoque à successionem non excluduntur. Ratio-
 nes quære apud *B. Dn. D. Jac. Marini. d. l. p. 355 seq.* vel *respectivè*, ha-
 bito nim. ad leges fundamentales vel publicas respectu. Quod

si lege publica cautum sit, ne filia parenti defuncto succedat, eadem merito hoc privilegium adimitur.

28. Tandem quaeritur: *Quinam ex filijs Regno sit praeficiendus?* Primogenitus, breviter respondemus. (1) *ex jure divino.* Hinc *Hieron. ex Gen. 46.* probat judaicum regnum primogenitis propriū fuisse. (2) *Ex jure naturae:* quia proximus est à patre, qui primò à patre est genitus: post patrem etiam supremum dignitatis gradum obtinet, qui à parentis latere primus esse dicitur. Hinc *Patrit. l. 9. de Regn. t. 22.* *Jus, inquit, naturae exigit, & gentium consuetudo confirmat, ut maximus natu ex filijs, mortuo regi succedat.* Vid. *Tiraquel. praefat. de jur. primog. ubi q. 4.* multis hoc probare conatur. (3) *Ex jure Gentium.* Hoc enim primogenito defert successionem Vid. *Just. l. 16. Pausan. l. 1. Liv. lib. 40.* apud quem Perseus major natu accusat Demetrium: *Regnare, inquit, utiq; vis: huic spei tua obstat etas mea, obstat gentium jus obstat vetustus Macedonia mos: obstat v. etiam Patris judicium.* (4) *Ex jure Civili.* Diserte enim hoc asseritur *l. 5. ff. de agnosc. lib. & l. 3. & 4. C. de alevd. lib.* (5) *Ex universali observatione* apud gentes tum vetustiores, tum recentiores. Vid. *Cl. Arnisæus l. 1. c. 9.* Et licet quaedam hic exempla in contrarium afferant nonnulli, tamen (1) sunt paucissima: (2) Extraordinaria (3) ob specialem causam & casum instituta &c. Hæc autem omnia nullum possunt hic afferre primogenito præjudicium.

29. Secundus successionis principalis gradus convenit *Agnatis.* Si enim liberorum expers Rex moriatur, regnum suum agnatis relinquit. Ubi tamen itidem hoc observandum, quod nullus hac in successione concedatur saltus: sed quæ est propinquitas sanguinis, ea etiam concedenda propinquitas regiminis. Patet hoc non tantum ex nomine, nam successio vi vocis proximam aliquam conjunctionem inferre videtur: sed etiam ex successionis hujus fundamento, quod est jus sanguinis: quatenus igitur aliquis propior est sanguine, ita etiam propinquior successionem. Huc referre etiam solent, quando socero Gener jure dotis succedit.

30. Secundaria successio varia est (1) *Donationis Exemplum*
allegat

allegat Theod. à Niem. l. 2. hist. c. 23. de Umberto Principe donante Delphinatum Regi Galliae, ea lege, ut filius natus maximus Delphinus appellaretur. Ea autem donatio vera ut fit, est necessum. Ficta enim, qualem Pontifex Constantinianam affert pro Italiae jure obtinendo, nullum habet locum. (2) *Emptionis & permutationis*. Cujus rei exemplum extat in sacris de Salomone & Hiram Rege Tiroi. Reg. 9. 11. Sic Elector Saxoniae jure emptionis utramque possidet Lusatiam. (3) *Confederationis*, qua illustres familiae certa institunt pacta gentilitia, ut, una stirpe extincta, altera ejus regionem atq; jura certa successionis lege occupet. Talia pacta gentilitia sunt inter Duces Saxoniae & Landgravios Hassiae. Sic eodem successionis jure Elector Brandenburgicus, extinctis Pomeraniae Ducibus, hanc regionem ex parte obtinuit, universam autem accepisset, nisi speciales causae intervenissent. (4) *Testamentaria dispositionis*. Sic ad imperii clavum neglectis fratribus natus majoribus ascendit Salomon 1. Reg. 1. 33. Attalus etiam Rex Pergami, teste Justin. l. 36. Romanis sui successionem legavit.

31. Tantum de Causa Efficiente. *Materiale* diximus *Summam potestatem*, propterea, quia ea omnibus Rerum publ. formis est communis. Est summa Potestas in Monarchia, est eadem in Oligarchia, & denique in Democratia: imò ubi potestas non est summa, ibi nulla datur vera Respublica. Jam quicquid multis est commune, illud materialis rationis obtinet statum, sicut alias Materialis ratio à Philosophis describitur: *Materialis ratio est notio communis, qua id concipitur, quod materialiter est in aliquo*. Summa autem potestas tribuitur regiae Monarchiae (1) quia vera est Respublica (2) quia optima est Respublica. (3) quia Rex nullum agnoscit superiorem. Qui autem superiorem non agnoscit, summam habet potestatem. (4) quia Rex solus dicitur Imperare, unde vocatur Monarcha. Solus autem imperare non posset, nisi summam potestatem haberet. Hac differentiae particula distinguitur regnum Monarchicum (1) à quibusvis alijs catibus per summam potestatem ad infimum subjectionis gradum non ordinatis. (2) à pagis, in quibus proprie dicitur neutiquam summa potestas locum invenire (3) à partialibus Rebus publ.

bus publ. quales in Imperio nostro sunt. Electoratus, Principatus, Comitatus, Baronatus, itemq; Civitates Imperiales, aut alii status immediatè Imperio subiecti.

32. *Formale* in descriptione exprimitur verbis, *Penes unum*, quod nim. illa summa potestas *penes unum* sit, non inclusive, sed exclusive. Hanc autem hujus Monarchiæ formalem esse rationem, patet (1) quia dat esse Monarchiæ: unde ipsa vox, quæ est signum rei, tanquam signati, etiam unius infert imperium. Sic omnis alius imperantium numerus de Monarchia negatur, quando de ejus constitutione quæstio instituitur, solum igitur hoc, quod penes unum sit imperium, Monarchiam in suo esse constituit. (2) *quia* Monarchiam ab omnibus reliquis distinguit *Rerum publ.* formis. Distingvere autem proprium est formæ officium. Ubicunq; igitur est proprium formæ officium, ibi etiam ipsa latet forma, cum effectus certissimum de sua causa relinquat testimonium. Certum præterea esse, per hanc differentia particulam, Monarchiam à reliquis speciebus esse distinctam, colligitur ex reliquarum adductione & collatione. Oligarchia penes paucos, Democratia penes universos dicit summam fore potestatem, nulla eandem penes unum ponit. Solius igitur hoc erit Monarchiæ. Unde facile patescit, quod (3) tota descriptio formalis rationis huic particulæ conveniat, quæ talis à Philosophis adducitur: *Formalis ratio est notio propria, qua quidditas rei ultimo concipitur, & per quam aliquid adequate ab alijs distinguitur.*

33. *Finis est spectare bonum publicum.* Hoc enim Regis est officium, hoc summum Regis beneficium. Tyranni sunt, non reges, qui subditorum publicaq; salute neglecta, suo vivunt genio, suoq; tantum moventur commodo. Regum est, Deum imitari, quia divino funguntur munere, divina donantur autoritate. Deus non suum quoddam exigit à nobis commodum, nullius enim est indigus. Nostrum est commodum, quod divina providentia quotidie curat & procurat. Sic publicam etiam quærere salutem, Regum optimum est officium. Distinguitur autem hoc sine Rex (1) à Tyranno: hic enim neglecta salute publica suam quærit

querit Tyrannidem, & privatam expetit commoditatem. (2) à Domino. Hic enim licet aliquam utilitatis publicæ agat curam, ea tamen minima & secundaria est: maxima autem & prima Domini cura est, suam spectare utilitatem.

34. Hactenus de Regno *Monarchico*; Sequitur Tyrannis. Vox a *Tyrannidis* à *Tyranno* descendit, nõ quidem derivatione Logica, sed Grammatica, quia Tyranni vox prior videtur extitisse, quia etiam est notior. In omnium enim ore Tyrannus est, sed quid Tyrannis sit non quibusvis constare videtur. *Tyranni* autem vocabulum secundum *Suidam* à *Tyrrhenis* derivationem accepit, quia *Tyrrheni* sævi fuerunt homines & latrocinijs dediti, ipso igitur nomine aliquid portentosi significarunt. Sic Tyrannus ipsa Etymologia non multum boni, sed maxima mala, nim. sævitiam, crudelitatem, latrocinia & cædes portenderet. Verum cum vocabulum Tyranni à græcis primam sumserit originem, melius secundum alios dicitur à græc. *τύρῃ*. *Τύρῃ* autem & proprium nomen est, & appellativum. Si proprium, urbem denotat opulentissimam & Mercatorum ditissimorum feracissimam: qui opulentia sua freti alios opprimebant, contemnebant & pessimè vivebant, unde in sacris ferocissimis principibus conferuntur. Si appellativum sit, palatium aliquod splendidum, & ædificium instar turris altissimè erectum, & per modum turris munitum significat. Solebant enim potentiores antiquitus altioribus uti ædificijs, quod & hodie in usu esse conspicitur. Unde ipsi habitatores seu Domini horum ædificiorum *Tyranni* primitus sunt appellati.

35. Sumitur autem vox hæc (1) in sensu Etymologico, & sic bonam obtinet significationem, significatq; potentiozem aliquem principem. Usus est hujus vocis significatione *Nepos in Miltiad. Chersonesi* (*Miltiades*) inquit, omneis illos, quos habitavit annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusq; fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamq; potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est. (2) in sensu vulgato, pro quolibet crudelitatis studioso, si-

D

cut

ent etiam servi dicuntur Tyranni, itemq; Domini in servos: & alijs etiam privatis tribuitur. (3) *In sensu Politico*, pro eo, qui solus in Republ. imperans suam crudeliter quærit utilitatem. Et sic h.l. accipitur.

36. *Descriptiones Tyrannidis variæ apud autores occurrunt. Lipsio l. 6. Polit. c. 9. Tyrannis est violentum unius imperium præter mores ac leges. Bodinus l. 2. de Rep. c. 4. Tyrannidem describit imperium, in quo unus homo divinis & natura legibus sublatis, rebus alienis ut suis, & liberis hominibus quasi mancipiis ad libidinem abutitur. Nos breviter hanc definitionem resolvimus: Tyrannis est Monarchia, in qua summa potestas est penes unum, bonum privatum spectantem.*

37. *Genus est Monarchia, non quidem κατ' ἐξοχήν* accepto termino, sic enim à Tyrannide distingvitur, & regni Synonymum dicitur: sed in sensu latiori, quatenus unius notat imperium, sive illud rectum, sive corruptum sit. Nam Tyrannidem esse talem Monarchiam non potest negari, quia penes unum omne est Imperium. Ubicunq; autem omne imperium est penes unum, ibi etiam est Monarchia, Nec essentialis est inter Regem & Tyrannum differentia, licet multis differant accidentibus. Nam & Rex à Tyranno differt (1) *causa impulsiva*, quæ in Tyranno est regnandi libido, in Rege subditorum amor. (2) *sine*. Rex enim publicam subditorum quærit salutem, Tyrannus verò propriam tantum & privatam respicit utilitatem. (3) *proprio*, quod respectu Regis est subditorum amor, quia Regis subditos amare consueverunt: respectu verò Tyranni est metus & odium subditorum. (4) *Subjectionis modo*. Nam Regibus subditi voluntaria subjectione obediunt, in Tyranno vero est involuntaria subiectio. (5) *defensione*. Rex enim civium utitur custodia, Tyrannus verò ab exteris & peregrinis defendi cupit. (6) *moribus*: quia Rex virtutibus est ornatus, Tyrannus verò omni vitiorum genere plerumq; instructus.

38. *Differentia iterum à causis petita. Cum autem quatuor sint causæ, Efficiens, Materia, forma & finis, prima quidem implicite, reliquæ verò tres explicitè in descriptione ponuntur. Efficiens* indicatur verbis, quando summa potestas dicitur *Esse*, quod autem in rebus civilibus est, non absq; causis esse dicitur. Est

autem

autem Tyrannidis Efficiens vel principalis, vel Minus principalis. Principalis remota Deus est, (1) quia sine providentia Dei in rebus humanis nihil fieri dicitur. Ergo etiam Tyrannis hominibus sine Deo contingere nequit. (2) quia nullum malum est incivitate, quod non sit à Deo. Sed Tyrannis est malum quid. Malum tamen non culpæ, sed pænæ hic est intelligendum. (3) quia Deus interdum reges dat in furore: ex quo fit, ut facile sua abutantur potestate. (4) quia Deus antegressa hominum scelera Tyrannide solet punire in regibus, ut perversam habeant mentem, nec videant ea, quæ vel sibi, vel Reipubl. bona sunt: in subditis, ut crudeli fato vel sub Tyrannorum imperio premantur, vel atroci facto occidantur.

39. Proxima sunt homines, qui iterum duplices, indigena, & alienigena. Illi causæ Tyrannidis existunt, si vel reges sua abutantur potestate, & abjecto omni honestatis respectu Tyrannos sese gerant: vel si subditus aliquis summoto Rege, omniq; regio stemmate seipsum Tyrannum constituat. Hi verò, si alienam Rempubl. vel vi, vel fraude invadant, subditos malè tractent, leges fundamentales evertant, & omnia pro nutu & lubitu agant.

40. Causa Minus principalis est vel Impulsiva, quales sunt variæ (1) Subditorum multitudo. Legimus enim de Pharaone, quod propter miram Israelitarum multiplicationem Tyrannidem atrocissimam exercuerit. (2) Subditorum fastus. Sic cum Israelitæ accederent Filium Salomonis *Rebabeam*, ut fastuosa oratione animum ejus frangerent, durissimam acceperunt & tyrannicam responsionem. (3) Subditorum seditio. Nam propter seditionem subditorum regum animi maximam subeunt mutationem, eorumq; clementia in sævitiam convertitur. (4) Principum crudelitas. Si n. naturâ ad crudelitatem proni ad summum potentiæ ascendant fastigium, tanto majores crudelitas sumit progressus, quanto major ipsorum est potestas. (5) Avaritia. Principes enim si avaritiæ sint studiosi, nullam publicæ salutis curam gerunt, sed omnia ad suam utilitatem dirigunt. Aliæ quidem sunt præterea Tyrannidis causæ, sed brevitatis ergò reliquas omittimus.

41. Vel instrumentalis, quo pertinent media, quibus Tyrannis

acquiritur. Sunt a. potissimum duo. 1. *Fraudulentia*, 2. *Violentia*.
*Ill*a est, quando per fraudulentam simulationem Tyrannus sub
fucato virtutis nomine aliorum animos occupat, & pedetentim
ipsam administrationem regiam sibi arrogat. *H*ac verò quando
vel legitimis hæredibus, vel alijs superioribus oppressis aut eje-
ctis, violenter ad regni fastigium adscendit. Cum verò, interdum
etiam is fiat Tyrannus, qui vel per legitimam Electionem, vel per
legitimam successionem, princeps est constitutus, hinc triplex
dicitur esse Tyrannus, *alius occupatione seu titulo, alius administra-*
tione seu officio. Alius utroq; nomine simul. Ille, qui illicitis & prohi-
bitis medijs alienum ad se rapit imperium, illudq; vel fraudu-
tia, vel violentia occupat, quamvis eidem non male præsit. *I*ste, qui
quidem legitimè est constitutus, sed tamen imperium in civium
perniciem vertendo, tyrannicè & pessimè gubernat. *H*ic deniq;,
qui regnum male occupat, & adhuc pejus administrat.

42. *Materiale est summa potestas.* Hanc enim nisi Tyrannus
haberet, alterius dominio subjectus esset, & sic facile, ad officium
redire coactus, Tyrannidem amitteret. Verum cum Tyrannus
nullum superiorem agnoscat, sed omnia ex cupiditatis suæ dicta-
mine agat, necessum est, ut penes Tyrannum sit summa potestas.
Præmissis cum sine summa potestate nec ipsa Respublica foret
integra.

43. *Formale est, quod illa summa potestas sit penes unum (1)*
quia Regnum & Tyrannis formaliter seu essentialiter non diffe-
sunt. (2) quia Tyrannus nullum admittit in regiminis confor-
tium. (3) quia Tyranni nec bene monentes audire, aut consilia-
rios adhibere consueverunt. Hic loci *mores Tyranni* sunt notan-
di. Tales sunt (1) Reip bona in privatum suum usum conferre. Sic
n. à regno distinguitur. (2) Bella gerere & nutrire, ut subditi ha-
beant, quod vel inter sese, vel cum externis hostibus agant, nec ar-
ma contra Tyrannidem dirigant. Hinc (3) Est hostis publicæ
pacis, & turbator civilis tranquillitatis. Nam divisiones, schis-
mata, jurgia inter subditos, & cum primis inter potentiores fo-
vet, factiones auget, & sic uni adhaerendo, illum sibi reddit obli-
gatum, alteri resistendo, eum vel occidit, vel patria expellit, vel
ad

ad minimum vires ejus frangit. (4) Existimat sibi omnia licere, quia nullam vel æquitatis, vel honestatis habet rationem. (5) Est suspicacissimus, quia pessimè sibi conscius, unde pro minima suspicione data subditos occidere jubet. (6) Timidissimus, quia nullum habet ex subditis amicum, & singulis momentis ab iisdem oppressionis vindictam expectare cogitur.

44. *Finis est bonum privatum spectare.* Tyrannus enim cum suo tantum vivat genio, suæq; saltem indulgeat voluptati, parum de publica re sollicitus est. Bonum autem privatum respicit (1) ut suum statum eo firmiorem & constantiorem reddat. (2) ut majorem formidinem subditis injiciat. (3) ut ærarium publicum penitus ad se trahat. (4) ut subditis nervos rerum gerendarum eripiat (5) ut peregrinis vel etiam indigenis vilioris conditionis benefacere, eorumq; animos sibi conciliare, & ipsos etiam, ultra potentiorum statum elevare queat. (6) ut coram subditis & exteris potentiam suam ostentare possit. (7) ut pecuniam semper habeat paratissimam, quia in casu necessitatis propter subditorum animos à se alienos vix aliquid corradere posset.

45. *Consistit autem illud bonum privatum (1) in legum bonorum & publicarum summotione.* Cum n. leges Tyrannidi sint adversæ, neq; Tyranni serviant ingenio, sed potius ad illud respiciant, quod communem promovet salutem: Tyrannus in eo totus esse videtur, ut hæc salutis publicæ fundamenta & incrementa penitus evertat. Nam tyrannus contra Tyrannidis hostes perpetuum gerit bellum: leges autem perpetuum boni publici volunt usum. Publicæ sunt, ad publicam spectant utilitatem. Civiles sunt, civium quærunt salutem. Reipublicæ sunt, rem igitur potius publicam, quam privatam, intendunt. Ex quibus facile illud colligit Tyrannus, legibus salvis corruere Tyrannidem, his vero sublatis Tyrannicum imperium quotidiana sumere incrementa. (2) *in privilegiorum imminutione.* Ea enim, quæ primatibus antea concessa sunt privilegia, Tyrannidi maxime sunt noxia. Tales n. privilegiatæ personæ cum plurimum valeant autoritate & potestate, ea sub publicæ utilitatis specie tam diu solet contrahere privilegia, donec eadem vel penitus tollat, vel sub nominis publici

prætextu ad se rapiat. Illa enim stare non potest Tyrannis, quæ potentissimos & a publicis oneribus exemptos habet inimicos. (3) *in status sui confirmatione.* Hic enim status si sit confirmatissimus, facile etiam bonum illud privatam quotidie majora sumit incrementa.

46. Confirmatur autem status Tyrannicus (1) *Magistratum officiorumq; mutatione:* ut fautores publicæ rei ejiciantur, alijq; Tyranni clientes in horum locum substituuntur. Sic enim facile, quicquid voluerit, efficere poterit, quando intermedia regiminis Tyrannici membra à Tyrannidis capite dependent. Secus a fieri consuevit, si officiales Tyranno sint adversi; cum eorū maxima & proxima sit cum subditis conjunctio. (2) *Statuum regni oppressione.* Hi enim quamdiu salvi sunt & incolumes, Tyrannus caput erigere non audet, quia perpetuos hic reperit contradicentes. Et sæpè quidem externa utitur in ordines violentia Tyrannus, sæpius tamen dolo & fraude rem aggredi solet, ne tam ex tyrannidis crudelitate, quam & publicæ rei salute rem videatur agere. Hanc autem ordinum oppressionem ad bonum privatam convertit, ut his sublatis eò facilius pro arbitrio omnia in Imperio disponat. (3) *Contradicientium & publicam salutem quærentium vel ejectione, vel occisione.* Hi enim ob contradictionem criminis læsæ Majestatis accusantur, bonis omnibus spoliantur, & vel exilio, vel ipsa morte multantur. Sic *Pisistratus* ejecit prius potentiores cives, post Tyrannidem invasit. *Isocrat. in Panath. Agathocles & Dionysius* senatores, autoritate majori præditos, interfecerunt *Justin. l. 21. 22. Tarquinius Superbus* filio, dum summa papaverum capita demetebat, per hoc principes Gabiorum interficiendos esse significabat. (4) *Bonorum publicorum inter suos distributione.* Ne n. omnia ad se rapere videatur, hoc stratagemate utitur Tyrannus, & dum vel ignobilium l. peregrinorum animos sibi conciliat, eosq; ad summos dignitatū gradus elevat, bona vel publica, vel ejectionum aut occisionum inter suos distribuit, quo eò majorem fidelitatem ab ijs expectare queat.

47. His addantur Tyrannicæ conservationis capita, quæ recenset *B. Dn. D. Jac. Mart. l. 2. c. 10. p. 499.* Conservatur a Tyrannis sequen-

sequentibus adminiculis (1) *Delationibus*. Emissarios nim. exploratores & delatores Tyranni alunt, eosq; in medium civium agmen emittunt, ut solcite singula exquirant, & fideliter referant omnia vel subditorū dicta, vel facta, & quid quisq; de præsentis regiminis statu sentiat. (2) *Conventuum prohibitione*. In his n. major confirmatur civium amicitia, & contra Tyrannidem suscipiuntur consilia. Illa v. prohibitio conventuum impedit civium concordiam, & efficit, ut cives ipsi inter se sint ignoti, ac alii aliis hospites ac peregrini videantur. (3) *Ordinum regni & virorum insignium suppressione*. Hi n. si fuerint sublatis, reliquis facillime Tyrannidis jugum immittere potest: ut enim brachijs fractis vel abscissis reliquum corpus infirmum est, & facile domatur: ita etiam superioribus fractis vel occisis, qui Reipubl. incolumitatem & instaurationem procurare solent, inferiores subditi facillime sub Tyrannide conservantur. (4) *Subditorum ad mutuas criminationes & calumnias instigatione*. Hoc enim pacto amici amicis, cognati cognatis, plebei patribus, & divites divitibus insidiantur, & Tyranni benevolentiam sibi conciliare conantur. (5) *Morum populi corruptione*. Facilius enim populus sub Tyrannicæ servitutis jugo continetur, si luxuria, lasciviâ alijsq; voluptatibus diffuset, quam si ex honestatis studio in liberalibus virtutum exercitijs proficiat. (6) *Literarum & bonarum artium abolitione*: ne sc. subditi sapere incipiant, & Tyrannidi finem facere suscipiant. (7) *Peregrinorum militum custodia & satellitio*. Hos autem beneficentia sibi adjungit, & summa benevolentia alit, ne ex horum cum indigenis conspiratione Tyrannis finem suum inveniat. (8) *Regnandi astutia*. Simulant enim se regnare juste & sapienter, multisque protestationibus sæpius protestantur, se omnes suas curas & sollicitudines ad civium publicam salutem dirigere. (9) *Civium ad inopiam reductione*. Hoc autem faciunt stipendia militibus non solvendo, operas gratuitas imponendo, maxima vectigalia exigendo, & subinde novos prætextus excogitando. (10) *Jocosè dicta seriò intelligendo, vel etiam alienum sensum dictis affingendo*: ut subditos sub specioso justitiæ prætextu punire queant. Hic enim, ut de suis in Reipubl. meritis, & de civium ingratitude prolixè verba faciant & conquerantur, optimam occasionem habent, & hoc pacto sub justitiæ & innocentie prætextu latere, & omnia pro lubitu & nutu ad Tyrannidis conservationem conferre possunt.

48. *Dominatus* deniq; est *Monarchia*, in qua *summa potestas est penes unum, primario bonum privatum, secundario bonum publicum spectantem.* *Vox Domini* secundum alios à *Domo*, cujus potior pars est, juxta alios à *Dominio*, quod ejus *primarium officium* dicitur, derivationem accepit. Sed variè accipitur [1] *vox blandientis est*, ut in illo *Virg 4. Æneid. Ecce Dominum Æneam in regna recepit* (2) *nomen honoris*: sicut honoris causa superiores Domini appellantur (3) *signum humanitatis*, quemadmodum hodie communiter omnes fere etiam inferioris sortis homines Domini salutantur, [4] *Nomen officij*, & ita adhibetur modo in familia, pro capite familiae, quod Domini appellatione utitur: modo in *politia*. Tripliciter autem in civili significatione variat. Sumitur vel *Generaliter* pro omni Magistratu, sive sit superior, sive inferior: Vel *Specialiter*, pro quovis Magistratu supremo, cum primis Monarchico: Vel *Specialissime*, pro Monarcha, qui in Dominatu reperitur, ut h. l. Ratio autem nominis desumpta est à Domino *Oeconomico*. Sicut enim hic primario suum quærit commodum, & cum sine servis familiam conservare nequeat, aliquam etiam horum suscipit curam: ita etiam sese res habet in Dominatu: primario Dominus suam quærit utilitatem, sed cum absq; subditis eam non possit integram salvamq; retinere, aliquam etiam subditorum agit curam.

49. Dicitur in descriptione, quod sit *Monarchia*, quia penes unum omnis est, & quidem *summa potestas*. Reliqua omnia ex dictis sunt clara. Hic saltem breviter notamus, quibus competat hic Dominatus, & quænam ejus sint notæ. *Aristoteles* Dominatum *Barbaris* adscribit. Talis Dominus olim erat *Rex Persarum*, quia omnes, ut testatur *Plur.* pro servis, excepta uxore, habuit. Sic hodie *Turcarum Imperatori*, *Magno Cham Tartarorum*, *Moscovitis*, *Chinensibus* Dominatum tribuunt. Huc etiam referunt *Regem Abyssinorum*, quem alij *Prætorem Johannem*, alij *Presbyterum Magnum* vocant, qui suis itidem dominicè imperat. Vid. *Arnis. l. 1. c. 9.* Notæ Dominatus sunt (1) quod sit hæreditarius, & à parentibus traditus (2) quod sit legitimus. (3) quod potestas ejus sit herilis & tyrannica

Vid. *B. Du. Jac. Merc. l. 2. c. 9.*

Coll. dies. 19. 26. misc. 4